24

Iste mundus furibundus falsa prestat gaudia,
Quia fluunt et decurrunt ceu campi lilia.
Laus mundana, vita vana vera tollit premia,
Nam impellit et submergit animas in tartara.
Lex carnalis et mortalis valde transitoria
Fugit, transit velut umbra, que non est corporea.
Quod videmus vel tenemus in presenti patria,
Dimittemus et perdemus quasi quercus folia.
Fugiamus, contemnamus huius vite dulcia,
Ne perdamus in futuro pretiosa munera!
Conteramus, confringamus carnis desideria,
Ut cum iustis et electis in celesti gloria
Gratulari mereamur per eterna secula!

Amen.

25

Vivere sub meta lex precipit atque propheta.
Est velut unda maris vox, gloria, laus popularis.
Omina sunt hominum tenui pendentia filo.
Qui differt penas, peccandi laxat habenas.
Nil fieri stulte credit, qui peccat inulte.
Discit enim citius meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.

De correctione hominum

26

1. Ad cor tuum revertere,
condicionis misere
homo! cur spernis vivere?
cur dedicas te vitiis?
cur indulges malitiis?
cur excessus non corrigis
nec gressus tuos dirigis

in semitis iustitie,
sed contra te cotidie
iram Dei exasperas?
in te succidi metue
radices ficus fatue,
cum fructus nullos afferas!

2. O condicio misera!
considera,
quam aspera
sit hec vita, mors altera,
que sic immutat statum!
cur non purgas reatum
sine mora,
cum sit hora
tibi mortis incognita!
et in vita
caritas, que non proficit,
prorsus aret et deficit
nec efficit
beatum.

3. Si vocatus ad nuptias
advenias
sine veste nuptiali,
a curia regali
expelleris,
et obviam si veneris
sponso lampade vacua,
es quasi virgo fatua.

4. Ergo vide, ne dormias,
sed vigilans aperias
Domino, cum pulsaverit!
beatus, quem invenerit
vigilantem. cum venerit!

39b

Cum vadis ad altare
missam celebrare,
te debes preparare,
vetus expurgare
de corde fermentum;
sic offer sacramentum:
invoca Christum,
psalmum dicas istum:
„Iudica",
teque ipsum preiudica,
Israel et Iuda
cordis mala denuda.

40

I.

Quicquid habes meriti, preventrix gratia donat;
Nil Deus in nobis preter sua dona coronat.

II.

Agricolis fessis cum venerit ultima messis,
Semina dant fructum, detergunt gaudia luctum.

III.

Os habet immite, qui non fert gaudia vite.

41

1. Propter Sion non tacebo,
sed ruinas Rome flebo,
quousque iustitia
rursus nobis oriatur
et ut lampas accendatur
iustus in ecclesia.

2. Sedet vilis et in luto
princeps facta sub tributo;
quod solebam dicere:
Romam esse derelictam,
desolatam et afflictam,
expertus sum opere.

3. Vidi, vidi caput mundi,
instar maris et profundi
vorax guttur Siculi.
ibi mundi bithalassus,
ibi sorbet aurum Crassus
et argentum seculi.

4. Ibi latrat Scylla rapax
et Charybdis auri capax
potius quam navium;
ibi cursus galearum
et conflictus piratarum,
id est cardinalium.

5. Syrtes insunt huic profundo
et Sirenes, toti mundo
minantes naufragium.
os humanum foris patet,
in occulto cordis latet
deforme demonium.

6. Habes iuxta rationem
bithalassum per Franconem;
quod ne credas frivolum:
ibi duplex mare fervet,
a quo non est qui reservet
sibi valens obolum.

7. Ibi fluctus colliduntur,
ibi panni submerguntur,
byssus, ostrum, purpure;
ibi mundus deglutitur,
immo totus sepelitur
in Franconis gutture.

8. Franco nulli miseretur,
nullum sexum reveretur,
nulli parcit sanguini.
omnes illi dona ferunt;
illuc enim ascenderunt
tribus, tribus Domini.

9. Canes Scylle possunt dici
veritatis inimici,
advocati Curie,
qui latrando falsa fingunt,
mergunt simul et confringunt
carinam pecunie.

10. Iste probat se legistam,
ille vero decretistam,
inducens Gelasium;
ad probandum questionem
hic intendit actionem
regundorum finium.

11. Nunc rem sermo prosequatur:
hic Charybdis debacchatur,
id est cancellaria,
ubi nemo gratus gratis
neque datur absque datis
Gratiani gratia.

12. Plumbum, quod hic informatur,
super aurum dominatur
et massam argenteam;
equitatis phantasia
sedet teste Zacharia
super bullam plumbeam.

13. Qui sunt Syrtes vel Sirenes?
qui sermone blando lenes
attrahunt byzantium;
spem pretendunt lenitatis,
sed procella parcitatis
supinant marsupium.

14. Dulci cantu blandiuntur
ut Sirenes, et loquuntur
primo quedam dulcia:
„Frare, ben je te cognosco,
certe nichil a te posco,
nam tu es de Francia.

15. Terra vestra bene cepit
et benigne nos excepit
in portu concilii.
nostri estis, nostri! cuius?
sacrosancte sedis huius
speciales filii.

16. Nos peccata relaxamus
et laxatos collocamus
sedibus ethereis.
nos habemus Petri leges
ad ligandos omnes reges
in manicis ferreis."

17. Ita dicunt cardinales,
ita solent di carnales
in primis allicere.
sic instillant fel draconis,
et in fine lectionis
cogunt bursam vomere.

18. Cardinales, ut predixi,
novo iure Crucifixi
vendunt patrimonium.
Petrus foris, intus Nero,
intus lupi, foris vero
sicut agni ovium.

19. Tales regunt Petri navem,
tales habent eius clavem,
ligandi potentiam.
hi nos docent, sed indocti,
hi nos docent, et nox nocti
indicat scientiam.

20. In galea sedet una
mundi lues inportuna,
camelos deglutiens.
involuta canopeo
cuncta vorat sicut leo
rapiens et rugiens.

21. Hic piratis principatur,
Spurius qui nuncupatur,
sedens in insidiis,
ventre grosso, lata cute,
grande monstrum nec virtute
redemptum a vitiis.

22. Maris huius non est dea
Thetis, mater Achillea,
de qua sepe legimus,
immo mater sterlingorum,
sancta soror loculorum,
quam nos Bursam dicimus.

23. Hec dum pregnat, ductor ratis
epulatur cum piratis
et amicos reperit;
nam si Bursa detumescit,
surgunt venti, mare crescit,
et carina deperit.

24. Tunc occurrunt cautes rati,
donec omnes sint privati
tam nummis quam vestibus.
tunc securus fit viator,
quia nudus, et cantator
it coram latronibus.

25. Qui sunt cautes? ianitores,
per quos, licet seviores
tigribus et beluis,
intrat saccus ere plenus,
pauper autem et egenus
tollitur a ianuis.

26. Quod si verum placet scribi,
duo tantum portus ibi,
due tantum insule,
ad quas licet applicari
et iacturam reparari
confracte navicule.

27. Petrus enim Papiensis,
qui electus est Meldensis,
portus recte dicitur.
nam cum mare fluctus tollit,
ipse solus mare mollit,
et ad ipsum fugitur.

28. Est et ibi maior portus,
fetus ager, florens ortus,
pietatis balsamum:
Alexander ille meus,
meus, inquam, cui det Deus
paradisi thalamum.

29. Ille fovet litteratos,
cunctos malis incurvatos,
si posset, erigeret.
verus esset cultor Dei,
nisi latus Elisei
Giezi corrumperet.

30. Sed ne rursus in hoc mari
me contingat naufragari,
dictis finem faciam,
quia, dum securus eo,
ne submergar, ori meo
posui custodiam.

42

1. Utar contra vitia carmine rebelli.
mel proponunt alii, fel supponunt melli,
pectus subest ferreum deaurate pelli
et leonis spolium induunt aselli.

2. Disputat cum animo facies rebellis,
mel ab ore profluit, mens est plena fellis;
non est totum melleum, quod est instar mellis,
facies est alia pectoris quam pellis.

3. Vitium in opere, virtus est in ore,
tegunt picem animi niveo colore,
membra dolent singula capitis dolore
et radici consonat ramus in sapore.

4. Roma mundi caput est, sed nil capit mundum,
quod pendet a capite, totum est immundum;
trahit enim vitium primum in secundum,
et de fundo redolet, quod est iuxta fundum.

5. Roma capit singulos et res singulorum,
Romanorum curia non est nisi forum.
ibi sunt venalia iura senatorum,
et solvit contraria copia nummorum.

6. In hoc consistorio si quis causam regat
suam vel alterius, hoc inprimis legat:
nisi det pecuniam, Roma totum negat;
qui plus dat pecunie, melius allegat.

7. Romani capitulum habent in decretis,
ut petentes audiant manibus repletis.
dabis, aut non dabitur, petunt, quando petis,
qua mensura seminas, et eadem metis.

8. Munus et petitio currunt passu pari,
opereris munere, si vis operari;
Tullium ne timeas, si velit causari:
Nummus eloquentia gaudet singulari.

9. Nummis in hac curia non est qui non vacet;
crux placet, rotunditas et albedo placet;
et cum totum placeat et Romanos placet,
ubi nummus loquitur, et lex omnis tacet.

10. Si quo grandi munere bene pascas manum,
frustra quis obiceret vel Iustinianum
vel Sanctorum canones, quia tamquam vanum
transeunt has paleas et imbursant granum.

11. Solam avaritiam Rome nevit Parca:
parcit danti munera, parco non est parca,
nummus est pro numine et pro Marco marca,
et est minus celebris ara quam sit arca.

12. Cum ad papam veneris, habe pro constanti:
non est locus pauperi, soli favet danti,
vel si munus prestitum non sit aliquanti,
respondet: „hec tibia non est michi tanti."

13. Papa, si rem tangimus, nomen habet a re:
quicquid habent alii, solus vult papare,
vel si verbum gallicum vis apocopare,
„paies! paies!" dist li mot, si vis impetrare.

14. Porta querit, chartula querit, bulla querit,
papa querit, etiam cardinalis querit,
omnes querunt, et si des – si quid uni deerit,
totum mare salsum est, tota causa perit.

15. Das istis, das aliis, addis dona datis,
et cum satis dederis, querunt ultra satis;
o vos burse turgide, Romam veniatis:
Rome viget physica bursis constipatis.

16. Predantur marsupium singuli paulatim,
magna, maior, maxima preda fit gradatim.
quid irem per singula? colligam summatim:
omnes bursam strangulant, et exspirat statim.

17. Bursa tamen Tityi iecur imitatur:
fugit res, ut redeat, perit, ut nascatur.
et hoc pacto loculum Roma depredatur,
ut, cum totum dederit, totus impleatur.

18. Redeunt a curia capite cornuto;
ima tenet Iupiter, celum habet Pluto,
et accedit dignitas animali bruto
tamquam gemma stercori vel pictura luto.

19. Divites divitibus dant, ut sumant ibi,
et occurrunt munera relative sibi.
lex est ista celebris, quam fecerunt scribi:
„si tu michi dederis, ego dabo tibi."

43

1. Roma, tue mentis oblita sanitate
desipis, cum resipis cordis tarditate.
lampas caret oleo, male sed mercatur,
sponsus † ut cum venerit, salus obumbratur,
pietas nec audit superne civitatis,
foris dum inclamitat vox calamitatis.

2. O sedes apostolica,
que vix latet, katholica,
convertere! convertere!
iam mundus languet opere.

3. Perit lex,
manet fex,
bibit grex
virus hoc letale;
pastor cedit,
lupus redit,
morsu ledit
permale.

4. Claudicat ecclesia patribus orbata,
sternitur iustitia capite truncata.
princeps tenebrarum se sentit gloriari
orbis fluxa, miseri student quem sectari.

5. Ludit ad interitum rerum coniectura
quodam vili scemate, docet ut natura.
basem rei publice, sortem senatorum
machina corrodit presentium malorum,
de qua, † sed diviguit, stirpe solidatur,
cuius et propagine solium letatur.

6. O decus exaltabile,
saluti collaudabile
complectere! complectere!
iam languet mundus opere.

7. Sed cum sis
plena vis,
cedat lis,
vitia premantur,
orbe leto,
tristi spreto
iure freto
pellantur!

8. Aruit spes estuans diuturnitate,
secula iam pereunt imbecillitate,
ordo principatus est mente discrepata
volvitur † in serie mundo non piata.
falso quoque veritas convincitur augurio,
nec altus est in Israel fidem dans centurio.

44

Initium sancti evangelii secundum marcas argenti

In illo tempore: dixit papa Romanis:
„Cum venerit filius hominis ad sedem maiestatis nostre, primum dicite:
‚Amice, ad quid venisti?'
At ille si perseveraverit pulsans nil dans vobis, eicite eum in tenebras exteriores."
Factum est autem, ut quidam pauper clericus veniret ad curiam domini pape, et exclamavit dicens:

„Miseremini mei saltem vos, hostiarii pape, quia manus paupertatis 6
tetigit me.
Ego vero egenus et pauper sum, ideo peto, ut subveniatis calamitati 7
et miserie mee."

Illi autem audientes indignati sunt valde et dixerunt: 8
„Amice, paupertas tua tecum sit in perditione. 9
Vade retro, satanas, quia non sapis ea, que sapiunt nummi. 10
Amen, amen, dico tibi: non intrabis in gaudium domini tui, donec 11
dederis novissimum quadrantem."
Pauper vero abiit et vendidit pallium et tunicam et universa que 12
habuit et dedit cardinalibus et hostiariis et camerariis.

At illi dixerunt: 13
„Et hoc quid est inter tantos?" 14
Et eiecerunt eum ante fores, et egressus foras flevit amare et non 15
habens consolationem.
Postea venit ad curiam quidam clericus dives, incrassatus, impingua- 16
tus, dilatatus, qui propter seditionem fecerat homicidium.
Hic primo dedit hostiario, secundo camerario, tertio cardinalibus. 17

At illi arbitrati sunt inter eos, quod essent plus accepturi. 18
Audiens autem dominus papa cardinales et ministros plurima dona 19
a clerico accepisse, infirmatus est usque ad mortem.
Dives vero misit sibi electuarium aureum et argenteum, et statim 20
sanatus est.
Tunc dominus papa ad se vocavit cardinales et ministros et dixit eis: 21

„Fratres, videte, ne aliquis vos seducat inanibus verbis. 22

Exemplum enim do vobis, ut, quemadmodum ego capio, ita et vos 23
capiatis."

45

I.

Roma, tenens morem nondum satiata priorem
Donas donanti, parcis tibi participanti;
Sed miser immunis censetur, eum quia punis.

dulciter soporis alimonia
post Veneris defessa commercia
captatur,
dum lassis instillatur.

8. O in quantis
animus amantis
variatur vacillantis!
ut vaga ratis per equora,
dum caret ancora,
fluctuat inter spem metumque dubia
sic Veneris militia.

63

1ª. Olim sudor Herculis,
monstra late conterens,
pestes orbis auferens,
claris longe titulis
enituit;
sed tandem defloruit
fama prius celebris,
cecis clausa tenebris,
Ioles illecebris
Alcide captivato.
Refl. Amor fame meritum
deflorat,
amans tempus perditum
non plorat,
sed temere
diffluere
sub Venere
laborat.

1ᵇ. Hydra damno capitum
facta locupletior,
omni peste sevior,
reddere sollicitum
non potuit,
quem puella domuit.

iugo cessit Veneris
vir, qui maior superis
celum tulit humeris
Atlante fatigato.
Refl. Amor fame meritum
deflorat,
amans tempus perditum
non plorat,
sed temere
diffluere
sub Venere
laborat.

2ª. Caco tristis halitus
et flammarum vomitus
vel fuga Nesso duplici
non profuit;
Geryon Hesperius
ianitorque Stygius,
uterque forma triplici
non terruit,
quem captivum tenuit
risu puella simplici.
Refl. Amor fame meritum
deflorat,
amans tempus perditum
non plorat,
sed temere
diffluere
sub Venere
laborat.

2ᵇ. Iugo cessit tenero,
somno qui letifero
horti custodem divitis
implicuit,
frontis Acheloie
cornu dedit Copie,
apro, leone domitis
enituit,
Thraces equos imbuit
cruenti cede hospitis.

Refl. Amor fame meritum
deflorat,
amans tempus perditum
non plorat,
sed temere
diffluere
sub Venere
laborat.

3ª. Antei Libyci
luctam sustinuit,
casus sophistici
fraudes cohibuit,
cadere dum vetuit;
sed qui sic explicuit
lucte nodosos nexus,
vincitur et vincitur,
dum labitur
magna Iovis soboles
ad Ioles
amplexus.

Refl. Amor fame meritum
deflorat,
amans tempus perditum
non plorat,
sed temere
diffluere
sub Venere
laborat.

3ᵇ. Tantis floruerat
laborum titulis,
quem blandis carcerat
puella vinculis.
et dum lambit osculis,
nectar huic labellulis
Venereum propinat;
vir solutus otiis
Venereis
laborum memoriam
et gloriam
inclinat.

Refl. Amor fame meritum
deflorat,
amans tempus perditum
non plorat,
sed temere
diffluere
sub Venere
laborat.

4ª. Sed Alcide fortior
aggredior
pugnam contra Venerem.
ut superem
hanc, fugio;
in hoc enim prelio
fugiendo fortius
et melius
pugnatur,
sicque Venus vincitur:
dum fugitur,
fugatur.
Refl. Amor fame meritum
deflorat,
amans tempus perditum
non plorat,
sed temere
diffluere
sub Venere
laborat.

4ᵇ. Dulces nodos Veneris
et carceris
blandi seras resero,
de cetero
ad alia
dum traducor studia.
o Lycori, valeas
et voveas,
quod vovi:
ab amore spiritum
sollicitum
removi.

Refl. Amor fame meritum
deflorat,
amans tempus perditum
non plorat,
sed temere
diffluere
sub Venere
laborat.

64

De XII virtutibus Herculis

Prima Cleonei tolerata erumna leonis.
Proxima Lerneam ferro et face contudit hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.
Eripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threiciam sexto spoliavit Amazona balteo.
Septima in Augeis stabulis impensa laboris.
Octava expulso numeratur adoria tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Hiberia palmam.
Undecimo mala Hesperidum districta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

65

1. Quocumque more motu volvuntur tempora,
eadem fretus eucrasi pulso tympana.

2ª. Seu Philogeus
in imis moretur,
aut Euricteus
solito vernali femine rubens notetur,
vel dum coruscus Acteon estivo lumine repletur,
sive Lampas radians autumni copia ditetur:
ab uno semper numine michi salus debetur.

leta frons tam nivea,
lux oculorum aurea,
cesaries subrubea,
manus vincentes lilia
me trahunt in suspiria.
rideo,
cum video
cuncta tam elegantia,
tam regia,
tam suavia,
tam dulcia.

70

1. Estatis florigero tempore
sub umbrosa residens arbore,
avibus canentibus in nemore,
sibilante serotino frigore,
mee Thisbes adoptato fruebar eloquio,
colloquens de Veneris blandissimo commercio.

2. Eius vultus,
forma, cultus
pre puellis,
ut sol stellis,
sic prelucet.
o inducet
hanc nostra ratio,
ut dignetur suo nos beare consortio?

3. Nil ergo restat satius,
quam cecam mentis flammam denudare diffusius.
audaces fortuna iuvat penitus.
his ergo sit introitus:

4ª. „Ignem cecum sub pectore
longo depasco tempore,
qui vires miro robore
toto diffundit corpore.

4b. Quem tu sola, percipere
si vis, potes extinguere,
. . meum semivivere
felici ligans federe."

4c. „Amoris spes est dubia,
aut verax aut contraria.
amanti necessaria
virtutis est constantia.

5a. Pre ceteris virtutibus est patientia
amoris famulantia.
5b. Sed et ignem, qui discurrit per precordia,
fax extinguat alia!
5c. Noster amor non furtiva, non fragilia
amplexatur gaudia."

6a. „Ignis, quo crucior,
immo quo glorior,
ignis est invisibilis.

6b. Si non extinguitur,
a qua succenditur,
manet inextinguibilis.

7a. Est ergo tuo munere
me mori vel me vivere."

7b. „Quid refert pro re pendula
vite pati pericula?

8a. Est pater, est mater,
est frater, qui quater
die me pro te corripiunt,

8b. Et vetulas per cellulas
et iuvenes per speculas
deputantes nos custodiunt;

9. Argumque centioculum
plus tremo quam patibulum.

10. Est ergo dignum
virum benignum
vitare signum,
unde malignum
murmur cursitat per populum."

11a. „Times in vanum!
tam est arcanum,
quod nec Vulcanum
curo cum sophisticis catenis.

11b. Stilbontis more
Letheo rore
Argum sopore
premam, oculis clausis centenis."

12a. „In trutina mentis dubia
fluctuant contraria
lascivus amor et pudicitia.

12b. †Sed eligo, quod video:
collum iugo prebeo,
ad iugum tamen suave transeo."

13. „Non bene dixeris
iugum secretum Veneris,
quo nil liberius,
nil dulcius, nil melius.

14a. O quam dulcia
sunt hec gaudia!
Veneris furta sunt pia.

14b. Ergo propera
ad hec munera!
carent laude dona sera."

15. „Dulcissime!
totam subdo tibi me."

17. Exuit se vestibus genitrix Amoris,
carnes ut ostenderet nivei decoris.
sternens eam lectulo fere decem horis
mitigavi rabiem febrici doloris.

18. Postmodum transivimus ire balneatum
in hortanum balneum Iovi consecratum.
huius aqua balnei me sensi purgatum
omnibus languoribus beneque piatum.

19. Ultra modum debilis, balneo afflictus,
fame validissima steteram astrictus.
versus contra Venerem „quasi derelictus,"
dixi „vellem edere, siquis inest victus!"

20. Perdices et anseres ducte sunt coquine,
plura volatilia, grues et galline;
pro placentis ductus est modius farine.
preparatis omnibus pransus sum festine.

21. Tribus, reor, mensibus secum sum moratus,
plenum ferens loculum fui vir ornatus;
recedens a Venere sum nunc allevatus
nummis atque vestibus; sum sic pauperatus.

22. Terreat vos, iuvenes, istud quod auditis!
dum sagittam Veneris penes vos sentitis,
mei este memores! vos, quocumque itis,
liberi poteritis esse, si velitis.

77

1. Si linguis angelicis loquar et humanis,
non valeret exprimi palma, nec in annis,
per quam recte preferor cunctis Christianis,
tamen invidentibus emulis profanis.

2. Pange, lingua, igitur causas et causatum!
nomen tamen domine serva palliatum,
ut non sit in populo illud divulgatum,
quod secretum gentibus extat et celatum.

3. In virgulto florido stabam et ameno,
vertens hec in pectore: „quid facturus ero?
dubito, quod semina in harena sero;
mundi florem diligens ecce iam despero.

4. Si despero, merito nullus admiretur;
nam per quandam vetulam rosa prohibetur,
ut non amet aliquem atque non ametur.
quam Pluto subripere, flagito, dignetur!"

5. Cumque meo animo verterem predicta,
optans, anum raperet fulminis sagitta,
ecce, retrospiciens sata post relicta,
audias, quid viderim, dum morarer ita:

6. Vidi florem floridum, vidi florum florem,
vidi rosam Madii cunctis pulchriorem,
vidi stellam splendidam, cunctis clariorem,
per quam ego degeram lapsus in amorem.

7. Cum vidissem itaque, quod semper optavi,
tunc ineffabiliter mecum exultavi,
surgensque velociter ad hanc properavi,
hisque retro poplite flexo salutavi:

8. „Ave, formosissima, gemma pretiosa,
ave, decus virginum, virgo gloriosa,
ave, lumen luminum, ave, mundi rosa,
Blanziflôr et Helena, Venus generosa!"

9. Tunc respondit inquiens stella matutina:
„ille, qui terrestria regit et divina,
dans in herba violas et rosas in spina,
tibi salus, gloria sit et medicina!"

10. Cui dixi: „dulcissima! cor michi fatetur,
quod meus fert animus, ut per te salvetur.
nam a quodam didici, sicut perhibetur,
quod ille, qui percutit, melius medetur."

11. „Mea sic ledentia iam fuisse tela
dicis? nego; sed tamen posita querela
vulnus atque vulneris causas nunc revela,
ut te sanem postmodum gracili medela!"

12. „Vulnera cur detegam, que sunt manifesta?
estas quinta periit, properat en sexta,
quod te in tripudio quadam die festa
vidi; cunctis speculum eras et fenestra.

13. Cum vidissem itaque, cepi tunc mirari,
dicens: ‚ecce mulier digna venerari!
hec excedit virgines cunctas absque pari,
hec est clara facie, hec est vultus clari!'

14. Visus tuus splendidus erat et amenus,
tamquam aer lucidus nitens et serenus;
unde dixi sepius: ‚Deus, Deus meus!
estne illa Helena vel est dea Venus?'

15. Aurea mirifice coma dependebat,
tamquam massa nivea gula candescebat,
pectus erat gracile; cunctis innuebat,
quod super aromata cuncta redolebat.

16. In iocunda facie stelle radiabant,
eboris materiam dentes vendicabant,
plus, quam dicam, speciem membra geminabant:
quidni, si hec omnium mentem alligabant?

17. Forma tua fulgida tunc me catenavit,
michi mentem, animum et cor immutavit.
tibi loqui spiritus ilico speravit;
posse spem veruntamen numquam roboravit.

18. Ergo meus animus recte vulneratur.
ecce, vita graviter michi novercatur.
quis umquam, quis aliquo tantum molestatur,
quam qui sperat aliquid et spe defraudatur?

19. Telum semper pectore clausum portitavi,
milies et milies inde suspiravi,
dicens: ‚rerum conditor, quid in te peccavi?
omnium amantium pondera portavi.

20. Fugit a me bibere, cibus et dormire,
medicinam nequeo malis invenire.
Christe, non me desinas taliter perire,
sed dignare misero digne subvenire!'

21. Has et plures numero pertuli iacturas,
nec ullum solacium munit meas curas,
ni quod sepe sepius per noctes obscuras
per imaginarias tecum sum figuras.

22. Rosa, videns igitur, quam sim vulneratus,
quot et quantos tulerim per te cruciatus,
dicens ‚placet!' itaque fac, ut sim sanatus,
per te sim incolumis et vivificatus!

23. Quod quidem si feceris, in te gloriabor,
tamquam cedrus Libani florens exaltabor.
sed si, quod non vereor, in te defraudabor,
patiar naufragium et periclitabor."

24. Inquit rosa fulgida: „multa subportasti,
nec ignota penitus michi revelasti.
sed que pro te tulerim, numquam somniasti;
plura sunt, que sustuli, quam que recitasti.

25. Sed omitto penitus recitationem,
volens talem sumere satisfactionem,
que prestabit gaudium et sanationem
et medelam conferet melle dulciorem.

26. Dicas ergo, iuvenis, quod in mente geris!
an argentum postulas, per quod tu diteris,
pretioso lapide an quod tu orneris?
nam si esse poterit, dabo, quicquid queris."

27. „Non est id, quod postulo, lapis nec argentum,
immo prebens omnibus maius nutrimentum,
dans impossibilibus facilem eventum
et quod mestis gaudium donat luculentum."

28. „Quicquid velis, talia nequeo prescire;
tuis tamen precibus opto consentire.
ergo, quicquid habeo, sedulus inquire,
sumens, si, quod appetis, potes invenire!"

29. Quid plus? collo virginis brachia iactavi,
mille dedi basia, mille reportavi,
atque sepe sepius dicens affirmavi:
„certe, certe istud est id, quod anhelavi!"

30. Quis ignorat, amodo cuncta que secuntur?
dolor et suspiria procul repelluntur,
paradisi gaudia nobis inducuntur,
cuncteque delicie simul apponuntur.

31. Hic amplexus gaudium est centuplicatum,
hic mecum et domine pullulat optatum,
hic amantum bravium est a me portatum,
hic est meum igitur nomen exaltatum.

32. Quisquis amat, itaque mei recordetur
nec diffidat illico, licet amaretur!
illi nempe aliqua dies ostendetur,
qua penarum gloriam post adipiscetur.

33. Ex amaris equidem grata generantur,
non sine laboribus maxima parantur,
dulce mel qui appetunt, sepe stimulantur;
sperent ergo melius, qui plus amarantur!

79

1. Estivali sub fervore,
quando cuncta sunt in flore,
totus eram in ardore.
sub olive me decore,
estu fessum et sudore,
detinebat mora.

2. Erat arbor hec in prato
quovis flore picturato,
herba, fonte, situ grato,
sed et umbra, flatu dato.
stilo non pinxisset Plato
loca gratiora.

3. Subest fons vivacis vene,
adest cantus philomene
Naiadumque cantilene.
paradisus hic est pene;
non sunt loca, scio plene,
his iocundiora.

4. Hic dum placet delectari
delectatque iocundari
et ab estu relevari,
cerno forma singulari
pastorellam sine pari
colligentem mora.

5. In amorem vise cedo;
fecit Venus hoc, ut credo.
„ades!" inquam, „non sum predo,
nichil tollo, nichil ledo.
me meaque tibi dedo,
pulchrior quam Flora!"

6. Que respondit verbo brevi:
„ludos viri non assuevi.
sunt parentes michi sevi;
mater longioris evi
irascetur pro re levi.
parce nunc in hora!"

80

1ª. Estivali gaudio
tellus renovatur,
militandi studio
Venus excitatur.
gaudet chorus iuvenum,
dum turba frequens avium
garritu modulatur.
Refl. Quanta sunt gaudia
amanti et amato,
sine fellis macula
dilecte sociato!
iam revernant omnia
nobis delectabilia,
hiems eradicatur.

1ᵇ. Ornantur prata floribus
varii coloris,
quorum delectatio
causa fit amoris.
gaudet chorus iuvenum,
dum turba frequens avium
garritu modulatur.
Refl. Quanta sunt gaudia
amanti et amato,
sine fellis macula
dilecte sociato!
iam revernant omnia
nobis delectabilia,
hiems eradicatur.

2ª. In calore vivido
nunc reformantur omnia,
hiemali tedio
que viluere languida.
tellus ferens gramina
decoratur floribus,
et vestiuntur nemora
frondosis arboribus.

Refl. Quanta sunt gaudia
amanti et amato,
sine fellis macula
dilecte sociato!
iam revernant omnia
nobis delectabilia,
hiems eradicatur.

2b. Amorum officiis
hec arrident tempora,
geminatis sociis
restaurantur federa.
festa colit Veneris
puellaris curia,
propinat Amor teneris
amaris miscens dulcia.
Refl. Quanta sunt gaudia
amanti et amato,
sine fellis macula
dilecte sociato!
iam revernant omnia
nobis delectabilia,
hiems eradicatur.

81

1. Solis iubar nituit,
nuntians in mundum,
quod nobis emicuit
tempus letabundum.
ver, quod nunc apparuit,
dans solum fecundum,
salutari meruit
per carmen iocundum.
Refl. Ergo nostra contio
psallat cum tripudio
dulci melodia!

2. Fugiente penitus
hiemis algore
spirat ether tacitus
estu gratiore.
descendente celitus
salutari rore
fecundatur funditus
tellus ex humore.
Refl. Ergo nostra contio
psallat cum tripudio
dulci melodia!

3. Sol extinctus fuerat,
modo renitescit;
frigus invaluerat,
sed modo tepescit;
nix, que nos obruerat,
ex estu liquescit;
qui prius aruerat,
campus revirescit.
Refl. Ergo nostra contio
psallat cum tripudio
dulci melodia!

4. Philomena stridula
voce modulatur;
floridum alaudula
tempus salutatur.
anus, licet vetula,
mire petulatur;
lascivit iuvencula,
cum sic recreatur.
Refl. Ergo nostra contio
psallat cum tripudio
dulci melodia!

82

1. Frigus hinc est horridum,
tempus adest floridum.
veris ab instantia
tellus iam fit gravida;
in partum inde solvitur,
dum florere cernitur.
Refl. Oooaiae!
amor † insolabile!
clerus scit diligere
virginem plus milite!

2. Sol tellurem recreat,
ne fetus eius pereat;
ab aeris temperantia
rerum fit materia,
unde multiplicia
generantur semina.
Refl. Oooaiae!
amor † insolabile!
clerus scit diligere
virginem plus milite!

3. Mons vestitur floribus
et sonat a volucribus;
in silvis aves concinunt
dulciterque garriunt;
nec philomena desinit,
iacturam suam meminit.
Refl. Oooaiae!
amor † insolabile!
clerus scit diligere
virginem plus milite!

4. Ridet terre facies
colores per multiplices.
nunc audite, virgines:
non amant recte milites!
miles caret viribus
nature et virtutibus!

Refl. Oooaiae!
amor † insolabile!
clerus scit diligere
virginem plus milite!

5. Thymus et lapathium
inierunt hoc consilium:
„propter formam milites
nobis sunt amabiles."
„de quibus stulta ratio,
suspensa est solutio."
Refl. Oooaiae!
amor † insolabile!
clerus scit diligere
virginem plus milite!

6. „Sed in curtibus milites
depingunt nostras facies,
cum serico in palliis,
colore et in clipeis."
„quid prosunt nobis talia,
cum forma perit propria?
Refl. Oooaiae!
amor † insolabile!
clerus scit diligere
virginem plus milite!

7. Clerici in frigore
observant nos in semine,
pannorum in velamine,
deinde et in pyxide."
mox de omni clerico
Amoris fit conclusio.
Refl. Oooaiae!
amor † insolabile!
clerus scit diligere
virginem plus milite!

117

1. Lingua mendax et dolosa,
lingua procax, venenosa,
lingua digna detruncari
et in igne concremari,

2. Que me dicit deceptorem
et non fidum amatorem,
quam amabam, dimisisse
et ad alteram transisse!

3. Sciat deus, sciant dei:
non sum reus huius rei!
sciant dei, sciat deus:
huius rei non sum reus!

4. Unde iuro Musas novem,
quod et maius est, per Iovem,
qui pro Dane sumpsit auri,
in Europa formam tauri;

5. Iuro Phebum, iuro Martem,
qui amoris sciant artem;
iuro quoque te, Cupido,
arcum cuius reformido;

6. Arcum iuro cum sagittis,
quas frequenter in me mittis:
sine fraude, sine dolo
fedus hoc servare volo!

7. Volo fedus observare!
et ad hec dicemus, quare:
inter choros puellarum
nichil vidi tam preclarum.

8. Inter quas appares ita
ut in auro margarita.
humeri, pectus et venter
sunt formata tam decenter;

9. Frons et gula, labra, mentum
dant amoris alimentum;
crines eius adamavi,
quoniam fuere flavi.

10. Ergo dum nox erit dies,
et dum labor erit quies,
et dum aqua erit ignis,
et dum silva sine lignis,

11. Et dum mare sine velis,
et dum Parthus sine telis,
cara michi semper eris:
nisi fallar, non falleris!

118

1. Doleo, quod nimium
patior exilium.
pereat hoc studium,
si m'en iré,
si non reddit gaudium,
cui tant abé!

2. Tua pulchra facies
me fey planser milies;
pectus habet glacies.
a remender
statim vivus fierem
per un baser!

3. Prohdolor, quid faciam?
ut quid novi Franciam?
perdo amicitiam
de la gentil?
miser corde fugiam
de cest pays?

132

1ª. Iam vernali tempore
terra viret germine,
sol novo cum iubare.
frondent nemora,
candent lilia,
florent omnia.

1ᵇ. Est celi serenitas,
aeris suavitas,
ventorum tranquillitas;
est temperies
clara et dies,
cantant volucres:

2ª. Merulus cincitat,
acredula rupillulat,
turdus truculat
et sturnus pusitat,
turtur gemitat,
palumbes plausitat,
perdix cicabat,
anser craccitat,
cignus drensat,
pavo paululat,
gallina gacillat,
ciconia clocturat,
pica concinnat,
hirundo et trisphat,
apes bombilat,
merops sincidulat.

2ᵇ. Bubo bubilat
et guculus guculat,
passer sonstitiat
et corvus croccitat,
vultur pulpat,
accipiter pipat,

carrus titubat,
cornix garrulat,
aquila clangit,
milvus lipit,
anas tetrinnit,
graculus fringit,
vespertilio et stridit,
butio et butit,
grus et grurit,
cicada fretendit.

3a. Onager mugilat,
et tigris raceat,
cervus docitat,
et verres quirritat,
leo rugit,
pardus ferit,
panther caurit,
elephans barrit,
linx et frennit,
aper frendit,
aries braterat,
ovis atque balat,
taurus mugit,
equus et hinnit.

3b. Lepus vagit,
et vulpis gannit,
ursus uncat,
et lupus ululat,
canis latrat,
catulus glutinat,
rana coaxat,
anguis sibilat,
grillus grillat,
sorex desticat,
mus et minnit,
mustela drindrit,
sus et grunnit,
asinus et rudit.

4. He sunt voces volucrum
necnon quadrupedum,
quarum modulamina
vincit phenix unica.

5a. Iam horrifer Aquilo
suavi cedit Zephiro,
sole in estifero
degente domicilio.
dulcisona resonat harundo.
floride cum floridis
florent vites pampinis.
odorifera
surgunt gramina,
gaudet agricola.

5b. Nunc dracones fluminum
scatent emanantium;
imber saluberrimus
irrigat terram funditus;
cataractas reserat Olimpus.
redolent aromata,
cum cinnamomo balsama.
virent viola,
rosa et ambrosia.
coeunt animalia.

133

Nomina avium

Hic volucres celi referam sermone fideli:
Accipiter, nisus, capus atque ciconia, picus,
Pica, merops meropis, larus atque loaficus, ibis,
Ardea vel turtur seu bubo, monedula, vultur.
His assint aquile, pitrisculus herodiusque.
Natura pariles hic state columba, palumbes,
Corvus edax, cornix, upupe, ficedula, perdix,
Noctua, fringellus seu nycticorax, amarellus,

144a

Ich han gesehen, daz mir in dem herçen sanfte tût:
des grûnen lovbes pin ih worden wolgemût;
div heide wunnechlichen stat;
mir ist liep, daz si also uil der schonen blûmen hat.

145

1. Musa venit carmine;
dulci modulamine
pariter cantemus!
ecce virent omnia: prata, rus et nemus.

2. Mane garrit laudila,
lupilulat acredula;
iubente natura
philomena queritur antiqua de iactura.

3. Hirundo iam finsat,
cygnus dulce trinxat
memorando fata,
cuculat et cuculus per nemora vernata.

4. Pulchre cantant volucres;
terre nitet facies
vario colore
et in partum solvitur redolens odore.

5. Late pandit tilia
frondes, ramos, folia;
thymus est sub ea
viridi cum gramine, in quo fit chorea.

6. Patet et in gramine
iocundo rivus murmure;
locus est festivus.
ventus cum temperie susurrat tempestivus.

147

1. Si de more
cum honore
lete viverem
nec meroris
nec doloris
librum legerem,
salutarem gramina,
me novarem,
mundo darem
nova carmina.

2. Tamen cano,
sed de vano
statu Veneris,
cuius Paris
et scolaris
sum cum ceteris,
qui noverunt varia
decantare,
veri dare
sua gaudia.

3. Cutis aret,
quia caret
leto pectore;
curans curo;
de futuro
timens tempore
nequeo cum talibus
accubare
vel durare
sub rivalibus.

147a

Sage, daz ih dirs iemmer loue:
hast du den uil lieben man gesehen?
ist iz war, lebet er so schone,
als si sagent vnde ih dih hore iehen?
„vrowe, ih sah in: er ist vro;
sin herçe stat, ob ir gebietet, iemmer ho.“.

153[a]

Vrowe, ih pin dir undertan;
des la mich geniezen!
ih diene dir, so ih beste chan;
des wil dih verdriezen.
nu wil du mine sinne
mit dime gewalte sliezen.
nu woldih diner minne
vil sůze wunne niezen.
vil reine wip,
din schoner lip
wil mih ze sere schiezen!
uz dime gebot
ih nimmer chume,
obz alle wibe hiezen!

154

Est Amor alatus puer et levis, est pharetratus.
Etas amentem probat et ratione carentem;
Vulnificus pharetra signatur, mobilis ala;
Nudus formatur, quia nil est, quo teneatur.
Insipiens, fugitans, temeraria tela cruentans
Mittit pentagonas nervo stridente sagittas,
Quod sunt quinque modi, quibus associamur amori:
Visus; colloquium; tactus; compar labiorum
Nectaris alterni permixtio, commoda fini;
In lecto quintum tacite Venus exprimit actum.

155

1. Quam pulchra nitet facie,
que cordis trahit intima!
hec est, de cuius specie
omnis amans dat plurima
cum fletibus suspiria.
hec processit de regia
prole. multa
dat hec et aufert gaudia.

2. Hec est, que caret macula
totaliter. venenea
traiecit Amor iacula
ob hoc in mei viscera
cordis. quapropter langueo,
quod promere erubeo.
sic estuo,
eius igne exardeo.

3. Sitio, quod igniferos
dolores fero. sedule
si non exoro superos:
Altitonum cum Hercule
et Iunonem cum Pallade
et Helenam cum Venere,
non prospere
hanc me continget vincere.

155a

Si ist schôner den urowe Dido was,
si ist schôner denne vrowe Helena,
si ist schôner denne vrowe Pallas,
si ist schôner denne vrowe Ecuba;
si ist minnechlicher denne vrowe Isabel
unde urolicher denne Gaudile;
mines hercen chle
ist tugunde richer denne Baldine.

156

De vere

1. Salve, ver optatum,
amantibus gratum,
gaudiorum
fax, multorum
florum incrementum!

multitudo florum
et color colorum,
salvetote
et estote
iocorum augmentum!
dulcis avium concentus
sonat; gaudeat iuventus!
hiems seva transiit, nam lenis spirat ventus.

2. Tellus purpurata
floribus, et prata
revirescunt,
umbre crescunt,
nemus redimitur.
lascivit natura
omnis creatura
leto vultu,
claro cultu
Amor investitur.
Venus subditos titillat,
dum nature nectar stillat;
sic ardor Venereus amantibus scintillat.

3. O quam felix hora,
in qua tam decora
sumpsit vitam
sic politam,
amenam, iocundam!
o quam crines flavi!
in ea nil pravi
scio fore,
in amore
nescio secundam.
frons nimirum coronata,
supercilia nigrata
et ad Iris formulam in fine recurvata.

4. Nivei candoris,
rosei ruboris
sunt maxille;
inter mille
par non est inventa.

labia rotunda
atque rubicunda,
albi dentes
sunt nitentes;
in sermone lenta.
longe manus, longum latus,
guttur et totus ornatus
est cum diligentia divina compilatus.

5. Ardoris scintilla
devolans ab illa,
quam pre totis
amo notis,
cor meum ignivit,
quod cor fit favilla.
Veneris ancilla
si non curat,
ardor durat,
moritur, qui vivit.
ergo fac, benigna Phyllis,
ut iocunder in tranquillis,
dum os ori iungitur et pectora mamillis!

157

1. Lucis orto sidere
exit virgo propere
facie vernali,
oves iussa regere
baculo pastorali.

2. Sol effundens radium
dat calorem nimium.
virgo speciosa
solem vitat noxium
sub arbore frondosa.

3. Dum procedo paululum,
lingue solvo vinculum:
„salve, rege digna!
audi, queso, servulum,
esto michi benigna!“

3. Amor nimius
incutit timorem,
timor anxius
suscitat ardorem
vehementius;
ita dubius
sentio dolorem
certo certius.

4. Totus Veneris
uror in camino;
donis Cereris,
satiatis vino
presto ceteris,
et cum superis
nectare divino
fruor frueris!

171a

Vrowe, wesent vro!
trostent ivch der sumerzit!
div chumit iv also:
rosen, lilien si uns git.
vrowe, wesent vro!
wie tût ir nu so,
daz ir so trurech sit?
der chle, der springet ho!

172

1. Lude, ludat, ludite! iocantes nunc audite,
quos presentis gaudia demulcent leta vite:
histrio tesseribus;
clericus amplexibus
deludat mulieres!

2. Amor est iam suavibus canendus melodiis,
qui non tardet gravibus detentus homiliis!

spondeat puellula
florens quasi rosula,
verbis devicta piis!

3. Dicat „ita!" facile, nil deneget rogata,
non viri notitiam rimetur prenotata!
faciat, quod petitur;
quod prece negligitur,
prestet virgo laudata!

172a

Ich han eine senede not, div tût mir also we;
daz machet mir ein winder chalt vnde ovch der wize sne.
chome mir div sumerzit,
so wolde ich prisen minen lip
umbe ein vil harte schoniz wip.

173

1. Revirescit
et florescit
cor meum a gaudio.
ab hac peto
corde leto,
quam numquam deserui,
tota mente
ut repente
donet michi gratiam, si merui.

2. Philomena
per amena
silve quando volitat
exultando
et cantando,
statim tui glorior.
miserere,
quia vere
in hac pena dulcissima morior!

173a

Wol ir libe, div so schone
lebet, alsam div vrowe min!
si treit wol der eren chrone.
in ir dienest wil ich sin;
dest ein ende.
swer daz wende,
der enguuinne
hoher minne
nimmer me!

174

1. Veni, veni, venias,
ne me mori facias!
hyria hyrie
nazaza trillirivos!

2. Pulchra tibi facies,
oculorum acies,
capillorum series –
o quam clara species!

3. Rosa rubicundior,
lilio candidior,
omnibus formosior,
semper in te glorior!

174a

1. Chume, chume, geselle min,
ih enbite harte din!
ih enbite harte din,
chum, chum, geselle min!

179

1. Tempus est iocundum, o virgines!
modo congaudete, vos iuvenes!
o! o!
totus floreo!
Refl. Iam amore virginali totus ardeo;
novus, novus amor est, quo pereo!

2. Cantat philomena sic dulciter,
et modulans auditur; †intus caleo.
o! o!
totus floreo!
Refl. Iam amore virginali totus ardeo;
novus, novus amor est, quo pereo!

3. Flos est puellarum, quam diligo,
et rosa rosarum, qua caleo.
o! o!
totus floreo!
Refl. Iam amore virginali totus ardeo;
novus, novus amor est, quo pereo!

4. Tua me confortat promissio,
tua me deportat negatio.
o! o!
totus floreo!
Refl. Iam amore virginali totus ardeo;
novus, novus amor est, quo pereo!

5. Tua mecum ludit virginitas,
tua me detrudit simplicitas.
o! o!
totus floreo!
Refl. Iam amore virginali totus ardeo;
novus, novus amor est, quo pereo!

6. Sile, philomena, pro tempore!
surge, cantilena, de pectore!
o! o!
totus floreo!
Refl. Iam amore virginali totus ardeo;
novus, novus amor est, quo pereo!

7. Tempore brumali vir patiens,
animo vernali lasciviens,
o! o!
totus floreo!
Refl. Iam amore virginali totus ardeo;
novus, novus amor est, quo pereo!

8. Veni, domicella, cum gaudio!
veni, veni, bella! iam pereo!
o! o!
totus floreo!
Refl. Iam amore virginali totus ardeo;
novus, novus amor est, quo pereo!

179a

Einen brief ich sande
einer vrowen gůt,
div mich inme lande
beliben tůt.
stille ih ir enbot. ob sie in gelas,
dar an was
al mins herçen můt;
div reine ist wol behůt.
Refl. Selich wip,
vil sůziz wip,
du gist wol hohen můt;
schone ist div zit,
bi dir swer lit,
sanfte dem daz tůt.

189

1a. „Aristippe, quamvis sero,
tuo tamen tandem quero
frui consilio.
quid Rome faciam?
mentiri nescio.
potentum gratiam
dat adulatio.
si mordaci nitar vero,
Verri numquam carus ero.
meretur histrio
virtutis premium,
dum palpat vitium
dulci mendacio."

1b. „Diogenes, quid intendas,
– vis honores? vis prebendas? –
id prius explices.
presunt ecclesiis
hi, quibus displices,
nisi te vitiis
ipsorum implices.
carus eris, si commendas
in prelatis vite mendas.
culparum complices,
ministros sceleris
amant pre ceteris
sacri pontifices."

2a. „Nec potentum didici
vitiis applaudere
nec favorem querere
corde loquens duplici.
veritate simplici
semper uti soleo,
dari famam doleo
cuiquam preter merita
nec impinguo capita
peccatoris oleo."

2b. „Ergo procul exsules,
si mentiri dubitas!
simplex enim veritas
multos fecit exsules.
cole nostros presules
mollibus blanditiis
nec insultans vitiis
verbis hos exasperes,
horum si desideres
frui beneficiis."

3a. „Ergo, sicut consulis,
expedit, ut taceam
blandiensve placeam
mollibus auriculis
potentium,
quibus me vis sic placere.
adulari vel tacere –
nichil ponis medium,
sicque, quasi faveam,
aliene subeam
culpe participium."

3b. „Culpe participio
ne formides pollui.
si potentum perfrui
vis favore, vitio
participes.
gaudent a convictu pari
suos sibi conformari
Giezi participes,
in promissis Protei
et sequaces Orphei
sacerdotum principes."

4a. „Vade retro, Satana,
tuas tolle fabulas!
quicquid enim consulas,
falsitatis organa,

voces adulantium,
devoveo
nulliusque foveo
blandiendo vitium.
sed palponis nomen cavi,
cuius semper declinavi
fraudis artificium."

4b. „Ergo vivas modicus
et contentus modico;
nil est opus Cynico.
si vis esse Cynicus,
dicas vale curiis
et abeas
et nec te sic habeas,
ut applaudas vitiis.
cum perverso perverteris,
si potentum gratus queris
esse contuberniis."

190

I.

Sunt detractores inimicis deteriores.
Retro rodentes et coram blanda loquentes
sunt magis infesti, quoniam non sunt manifesti.

II.

Lingua susurronis est peior felle draconis.

191

1. Estuans intrinsecus ira vehementi
in amaritudine loquor mee menti.
factus de materia levis elementi
folio sum similis, de quo ludunt venti.

2. Cum sit enim proprium viro sapienti,
supra petram ponere sedem fundamenti,
stultus ego comparor fluvio labenti,
sub eodem aere numquam permanenti.

3. Feror ego veluti sine nauta navis,
ut per vias aeris vaga fertur avis;
non me tenent vincula, non me tenet clavis,
quero mei similes et adiungor pravis.

4. Michi cordis gravitas res videtur gravis,
iocus est amabilis dulciorque favis.
quicquid Venus imperat, labor est suavis,
que numquam in cordibus habitat ignavis.

5. Via lata gradior more iuventutis,
implico me vitiis immemor virtutis,
voluptatis avidus magis quam salutis,
mortuus in anima curam gero cutis.

6. Presul discretissime, veniam te precor,
morte bona morior, dulci nece necor,
meum pectus sauciat puellarum decor,
et quas tactu nequeo, saltem corde mechor.

7. Res est arduissima vincere naturam,
in aspectu virginis mentem esse puram;
iuvenes non possumus legem sequi duram
leviumque corporum non habere curam.

8. Quis in igne positus igne non uratur?
quis Papie demorans castus habeatur,
ubi Venus digito iuvenes venatur,
oculis illaqueat, facie predatur?

9. Si ponas Hippolytum hodie Papie,
non erit Hippolytus in sequenti die.
Veneris in thalamos ducunt omnes vie,
non est in tot turribus turris Alethie.

10. Secundo redarguor etiam de ludo,
sed cum ludus corpore me dimittit nudo,
frigidus exterius, mentis estu sudo;
tunc versus et carmina meliora cudo.

11. Tertio capitulo memoro tabernam:
illam nullo tempore sprevi neque spernam,
donec sanctos angelos venientes cernam,
cantantes pro mortuis: „Requiem eternam."

12. Meum est propositum in taberna mori,
ut sint vina proxima morientis ori;
tunc cantabunt letius angelorum chori:
„Sit Deus propitius huic potatori."

13. Poculis accenditur animi lucerna,
cor imbutum nectare volat ad superna.
michi sapit dulcius vinum de taberna,
quam quod aqua miscuit presulis pincerna.

14. Loca vitant publica quidam poetarum
et secretas eligunt sedes latebrarum,
student, instant, vigilant nec laborant parum,
et vix tandem reddere possunt opus clarum.

15. Ieiunant et abstinent poetarum chori,
vitant rixas publicas et tumultus fori,
et ut opus faciant, quod non possit mori,
moriuntur studio subditi labori.

16. Unicuique proprium dat Natura munus:
ego numquam potui scribere ieiunus,
me ieiunum vincere posset puer unus.
sitim et ieiunium odi tamquam funus.

17. Unicuique proprium dat Natura donum:
ego versus faciens bibo vinum bonum,
et quod habent purius dolia cauponum;
vinum tale generat copiam sermonum.

18. Tales versus facio, quale vinum bibo,
nichil possum facere nisi sumpto cibo;
nichil valent penitus, que ieiunus scribo,
Nasonem post calices carmine preibo.

19. Michi numquam spiritus poetrie datur,
nisi prius fuerit venter bene satur;
dum in arce cerebri Bacchus dominatur,
in me Phebus irruit et miranda fatur.

20. Ecce mee proditor pravitatis fui,
de qua me redarguunt servientes tui.
sed eorum nullus est accusator sui,
quamvis velint ludere seculoque frui.

21. Iam nunc in presentia presulis beati
secundum dominici regulam mandati
mittat in me lapidem neque parcat vati,
cuius non est animus conscius peccati.

22. Sum locutus contra me, quicquid de me novi,
et virus evomui, quod tam diu fovi.
vita vetus displicet, mores placent novi;
homo videt faciem, sed cor patet Iovi.

23. Iam virtutes diligo, vitiis irascor,
renovatus animo spiritu renascor;
quasi modo genitus novo lacte pascor,
ne sit meum amplius vanitatis vas cor.

24. Electe Colonie, parce penitenti,
fac misericordiam veniam petenti,
et da penitentiam culpam confitenti;
feram, quicquid iusseris, animo libenti.

25. Parcit enim subditis leo, rex ferarum,
et est erga subditos immemor irarum;
et vos idem facite, principes terrarum:
quod caret dulcedine, nimis est amarum.

193

De conflictu vini et aque

1. Denudata veritate
succinctaque brevitate
ratione varia
dico, quod non copulari
debent, immo separari,
que sunt adversaria.

2. Cum in scypho reponuntur,
vinum aqua coniunguntur;
sed talis coniunctio
non est bona nec laudari
debet, immo nuncupari
melius confusio.

3. Vinum sentit aquam secum.
dolens inquit: „quis te mecum
ausus est coniungere?
exi! surge! vade foras!
non eodem loco moras
mecum debes facere.

4. Super terram debes teri
et cum terra commisceri,
ut in lutum transeas.
vilis et inverecunda
rimas queris, ut immunda
mundi loca subeas.

5. Mensa per te non ornatur,
nullus homo fabulatur
in tui presentia.
sed qui prius est iocundus,
ridens verboque facundus,
non rumpit silentia.

6. Cum quis de te forte potat,
si sit sanus, tunc egrotat,
conturbas precordia;
venter tonat, surgit ventus,
qui inclusus, non ademptus
multa dat supplicia.

7. Quando venter est inflatus,
tunc diversos reddit flatus
ex utroque gutture,
et cum ita dispensatur
ventus, aer perturbatur
a corrupto murmure."

8. Aqua contra surgit ita:
„turpis iacet tua cita
cum magna miseria.
qui sunt tui potatores,
vitam perdunt atque mores
tendentes ad vitia.

9. Tu scis linguas impedire.
titubando solet ire
tua sumens basia;
verba recte non discernens,
centum putat esse cernens
duo luminaria.

10. Et qui tuus est amator?
homicida, fornicator,
Davus, Geta, Byrria!
tales tibi famulantur,
tales de te gloriantur
taberniali curia.

11. Propter tuam pravitatem
nullam habes libertatem,
domos tenes parvulas.
ego magna sum in mundo,
dissoluta me diffundo
per terre particulas.

12. Potum dono sitienti,
et salutem sum querenti
valde *necessaria*,
quia veho peregrinos
tam remotos quam vicinos
ad templi palatia."

13. Vinum hec: „te plenam fraude
probas esse tali laude.
verum est, quod suscipis
naves. post hec intumescis;
dum franguntur, non quiescis
et sic eas decipis.

14. Qui non potest te potare
et te totam desiccare,
tendit ad pericula.
tibi credens sic declinat;
ita per te peregrinat
ad eterna secula.

15. Ego deus, et testatur
istud Naso; per me datur
cunctis sapientia.
cum non potant me magistri,
sensu carent, et ministri
non frequentant studia.

16. Non a falso potest verum
separare, ni qui merum
me potare nititur.
claudus currit, cecus videt,
eger surgit, deflens ridet,
per me mutus loquitur.

17. Per me senex iuvenescit,
per te ruit et senescit
iuvenum lascivia.
per me mundus reparatur,
per te nunquam generatur
filius vel filia."

18. Aqua inquit: „tu es deus,
per quem iustus homo reus
malus, peior, pessimus.
verba facis semiplena
balbutire; cum lagena
sic fit sciens Didymus.

19. Execretur tale numen,
lima fraudis et acumen,
fons, origo criminis,
quod et bonis novercatur,
quod e terris se furatur
per adventum fluminis.

20. Ego loquor veritatem,
dono terris ubertatem,
per me vernant omnia.
cum non pluit, exarescunt
herbe, fruges et marcescunt
flores atque folia.

21. Mater tua tortuosa
numquam surgit fructuosa;
sed omnino sterilis,
sua coma denudata,
serpit humi desiccata,
vana fit et fragilis.

22. Fames terras comitatur
me cedente, perturbatur
deflens omnis populus;
pro me Christo Christianus,
tam Iudeus quam paganus
preces fundit sedulus."

23. Vinum ait: „de te canis,
te collaudas verbis vanis,
alibi te vidimus.
universis cum sis nota
vilis et immunda tota,
credis, quod non novimus?

24. Tu fex rerum et sentina,
que descendunt de latrina,
suscipis, quod taceo.
sordes, feces et venena
multa rapis ut effrena,
que narrare nequeo."

25. Aqua surgens se defendit
atque vinum reprehendit
de turpi colloquio:
„quis et qualis sit, non latet,
iste deus, immo patet
tali vaticinio.

26. Sermo tuus me non ledet,
tamen turpis male sedet
ore dei ratio.
ultra passus novem ferre
nolo virus nec sufferre,
sed a me proicio."

27. Vinum ait: „exornata
verba sunt post terga data;
non excludis vitium.
multi ferre te viderunt
sordes, que non perierunt
per diei spatium!"

28. Audiens hec obstupescit
aqua, deflens obmutescit,
geminat suspiria.
vinum clamat: „quare taces?
patens est, quod victa iaces
rationis nescia."

29. Ego Petrus disputator
huius cause terminator
omni dico populo:
quod hec miscens execretur
et a Christo separetur
in eterno seculo. Amen.

194

I.

In cratere meo Thetis est sociata Lyeo;
Est dea iuncta deo, sed dea maior eo.
Nil valet hic vel ea, nisi cum fuerint pharisea
Hec duo; propterea sit deus absque dea.

II.

Res tam diverse, licet utraque sit bona per se,
Si sibi perverse coeant, perdunt pariter se.

III.

Non reminiscimini, quod ad escas architriclini
In cyathis Domini non est coniunx aqua vini?

195

1a. Si quis Deciorum dives officio
gaudes in vagorum esse consortio,
vina numquam spernas,
diligas tabernas.

1b. Bacchi, qui est spiritus, infusio
gentes allicit bibendi studio;
curarumque tedium
solvit et dat gaudium.

1c. Terminum nullum teneat nostra contio,
bibat funditus confisa Decio.
nam ferre scimus eum
Fortune clipeum.

1d. Circa frequens studium sis sedula,
apta digitos, gens eris emula,
ad fraudem Decii
sub spe stipendii.

200

1. Bacche, bene venies gratus et optatus,
per quem noster animus fit letificatus.
Refl. Istud vinum, bonum vinum, vinum generosum,
reddit virum curialem, probum, animosum.

2. Bacchus forte superans pectora virorum
in amorem concitat animos eorum.
Refl. Istud vinum, bonum vinum, vinum generosum,
reddit virum curialem, probum, animosum.

3. Bacchus sepe visitans mulierum genus
facit eas subditas tibi, o tu Venus.
Refl. Istud vinum, bonum vinum, vinum generosum,
reddit virum curialem, probum, animosum.

4. Bacchus venas penetrans calido liquore
facit eas igneas Veneris ardore.
Refl. Istud vinum, bonum vinum, vinum generosum,
reddit virum curialem, probum, animosum.

5. Bacchus lenis leniens curas et dolores
confert iocum, gaudia, risus et amores.
Refl. Istud vinum, bonum vinum, vinum generosum,
reddit virum curialem, probum, animosum.

6. Bacchus mentem femine solet hic lenire
cogit eam citius viro consentire.
Refl. Istud vinum, bonum vinum, vinum generosum,
reddit virum curialem, probum, animosum.

7. Bacchus illam facile solet expugnare,
a qua prorsus coitum nequit impetrare.
Refl. Istud vinum, bonum vinum, vinum generosum,
reddit virum curialem, probum, animosum.

8. Bacchus numen faciens hominem iocundum,
reddit eum pariter doctum et facundum.
Refl. Istud vinum, bonum vinum, vinum generosum,
reddit virum curialem, probum, animosum.

9. Bacche, deus inclite, omnes hic astantes
leti sumus munera tua prelibantes.
Refl. Istud vinum, bonum vinum, vinum generosum,
reddit virum curialem, probum, animosum.

10. Omnes tibi canimus maxima preconia,
te laudantes merito tempora per omnia.

201

I.

Tu das, Bacche, loqui, tu comprimis ora loquacis,
Ditas, deditas, tristia leta facis.
Concilias hostes, tu rumpis federa pacis,
Et qui nulla sciunt, omnia scire facis.
Multis clausa seris tibi panditur arca tenacis;
Tu das, ut detur, nil dare posse facis.
Das ceco visum, das claudo crura salacis:
Crederis esse deus, hec quia cuncta facis.

II.

Ergo bibamus, ne sitiamus, vas repleamus.
Quisque suorum posteriorum sive priorum
Sit sine cura morte futura re peritura.

III.

Pone merum et talos, pereat, qui crastina curat.

IV.

Bacchus erat captus vinclisque tenacibus aptus;
Noluit ergo deus carceris esse reus.
Ast in conclavi dirupit vincula suavi
Et fractis foribus prodiit e latibus.

202

1. O potores exquisiti,
licet sitis sine siti,
en bibatis expediti
et scyphorum inobliti!

215

Incipit Officium lusorum

I. ⟨*Introitus:*⟩
Lugeamus omnes in Decio, diem mestum deplorantes pro dolore omnium lusorum: de quorum nuditate gaudent Decii et collaudant filium Bacchi.

Versus:
Maledicant Decio in omni tempore; semper fraus eius in ore meo.

II.
Fraus vobis!
Tibi leccatori!

III. *Oratio:*
Ornemus! Deus, qui nos concedis trium Deciorum maleficia colere: da nobis in eterna tristitia de eorum societate lugere. Per

IV. *Epistola:*
Lectio actuum apopholorum. In diebus illis multitudinis ludentium erat cor unum et tunica nulla, et hiems erat, et iactabant vestimenta secus pedes accomodantis, qui vocabatur Landrus. Landrus autem erat plenus pecunia et fenore et faciebat damna magna in loculis accomodans singulis, prout cuiusque vestimenta valebant.

V. *Graduale:*
Iacta cogitatum tuum in Decio, et ipse te destruet.

Versus:
Dum clamarem ad Decium, exaudivit vocem meam et eripuit vestem meam a lusoribus iniquis.

VI.
Alleluia.

Versus:
Mirabilis vita et laudabilis nichil.

VII. *Sequentia:*

1. Victime novali zynke ses
immolent Deciani.

2ª. Ses zinke abstraxit vestes,
equum, cappam et pelles
abstraxit confestim
a possessore.

2ᵇ. Mors et sortita duello
conflixere mirando,
tandem tres Decii
vicerunt illum.

3ª. Nunc clamat: „O Fortuna,
quid fecisti pessima?
Vestitum cito nudasti
et divitem egeno coequasti.

3ᵇ. Per tres falsos testes
abstraxisti vestes.
Ses zinke surgant, spes mea!
Precedant cito in † tabulea!"

4ª. Credendum est
magis soli
ses zinke quatter veraci
quam dri tus es
ictu fallaci.

4ᵇ. Scimus istos
abstraxisse
vestes lusoribus vere.
Tu nobis victor
ses, miserere!

VIII. *Evangelium:*

Sequentia falsi evangelii secundum marcam argenti. Fraus tibi Decie! Cum sero esset una gens lusorum, venit Decius in medio eorum et dixit: „Fraus vobis! Nolite cessare ludere. Pro dolore enim vestro missus sum ad vos." Primas autem, qui dicitur Vilissimus, non erat cum eis, quando venit Decius. Dixerunt autem alii discipuli: „Vidimus Decium." Qui dixit eis: „Nisi mittam os meum in locum peccarii, ut bibam, non credam." Primas autem, qui dicitur Vilissimus, iactabat decem, alius duodecim, tertius vero quinque. Et qui quinque proiecerat, exhausit bursam et nudus ab aliis se abscondit.

IX. *Offertorium:*

Loculum humilem salvum facies, Decie, et oculos lusorum erue, Decie.

X.

Humiliate vos, avari, ad maledictionem!

XI. *Oratio:*

Ornemus! Effunde, domine, iram tuam super avaros et tenaces, qui iuxta culum ferunt sacculum, et cum habuerint denarium, reponunt eum inclusum, donec vertatur in augmentum et germinet centum. Pereat! Hic est frater pravitatis, filius iniquitatis, † fixura scamni, † genus nescitandi, † visinat amare, quando timet nummum dare. Pereat! Quod ille eis maledictionem prestare dignetur, qui Zacheo benedictionem tribuit et diviti avaro guttam aque denegavit. Amen.

XII.

Et maledictio dei patris omnipotentis descendat super eos!

XIII. *Communio:*

Mirabantur omnes inter se, quod Decius abstraxerat cuilibet vestes.

215a

Omnipotens sempiterne deus, qui inter rusticos et clericos magnam discordiam seminasti, presta, quesumus, de laboribus eorum vivere, de mulieribus ipsorum uti et de morte dictorum semper gaudere.